



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

V. Veteres illam sacerdotiorum nundinationem severissimè prohibuerunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

singularum Ecclesiarum & Clericorum in eis ministrantium dignitati consuluit, juxta veterum canonum præscriptum. E proprio clero eligi debere, & absque pecuniæ datione, constituit. Quibus verbis priorum temporum perturbationem suggillat. Vetus est & recepta in Ecclesia regula, Clericos post emerita plurium annorum in presbyterij aut diaconij gradibus stipendia ad suarum Ecclesiarum episcopatus evehentos, nec Clericis extraneis, neglecto proprio clero, eas dignitates conferendas. Quam formam ad Apostolorum canones, id est, ad consuetudinem antiquam à temporibus Apostolorum ductam, refert Iulius primus apud Athanasium apologia secunda. Conqueritur de Gregorij ordinatione contra canones facta, non solum quòd Athanasio venti superpositus esset ab orientalibus, sed etiam quòd extraneus esset ab Ecclesia Alexandrina, illique penitus ignotus; addens, ne canones Apostolorum solverentur, oportuisse ab Episcopis provinciæ constitui aliquem ex ipso sacrario, ex ipso clero: ἀπὸ αὐτῶν ἱερατικῶν, ἀπὸ αὐτῶν ἑκκλησιαστικῶν καὶ μὴ νεὺ τοῦς ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων κανόνας ὡς ἐχλεύεσθαι. Cujus instituti ratio una afferri potest è Gregorio Nazianzeno, oratione quando assumptus est in concordia patris; quoniam noto & familiari gregi præesse jucundius est quàm externo & alieno, addam etiam & Deo carius.

III. Sed potior est Celestini ratio, qui gravem injuriam fieri Clericis docet si peregrini illis præferantur. Hæc enim sunt ejus verba in epistola ad Episcopos Viennenses & Narbonenses: *Tunc alter de altera eligatur Ecclesia si de civitatis ipsius Clericis cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit reperiri. Primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis merito præferantur. Habeat unusquisque Clericorum suæ fructum militia in Ecclesia in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minimè alter obrepat; nec alij debitam alter sibi audeat vendicare mercedem.* Quare Leo primus decernit epistola LXXXVIII. ut ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconis, optimus eligatur. Urbanus secundus & Innocentius tertius in hunc numerum adlegerunt etiam Subdiaconos. Idem Leo primus epistola centesima hortatur Gennadium Constantinopolitanum ut enitatur quatenus Alexandrinis ex clero suo catholicus Episcopus consecratur, juxta veterem morem. Gratianus in hanc sententiam testimonia adducit, præter Celestinum, Gregorij & Pelagij dist. LX. & LXI. Ex quorum auctoritate hausit Concilium Remense anno

DCXXX. ut desideret loci indigenam eligi, canone ultimo. Quod ita explicuit Ludovicus Pius in hoc Capitulari, ut ad diocesim integram hoc porrigat, id est, ad Presbyteros quoque rusticanarum parocchiarum, nec ad solum civitatis clerum restringat. Quod secutum est Concilium Valentinum tertium anno DCCCLV. can. VII. cum aliqua explicatione: *Vt in clero, aut in diocesi cerè ipsa, vel si opus sit, in vicinia ipsius, probata persona queratur, & eligatur.* Hoc remedio & jus vetustum restitui & aulicorum cupiditates reprimi posse non desperabant.

IV. Altera hujus capituli clausula spondet electiones in futurum absque muneratione peragendas. Quod aulam præcipue respicit, quæ pretio plerunque sacerdotia addicebat. Observatum illud à Gregorio Turonensi capite sexto de vitis patrum: qui cum scripsisset Arvernos Galli electionem à se factam, à Theodorico Rege ut confirmaretur muneribus emeruisse, ait *tunc germen istud iniquum cœpisse pullulare ut sacerdotium aut venderetur à Regibus, aut compararetur à Clericis.* Exemplum ductum fuit à Regibus Gothorum in Italia: qui confirmationes electionum ad se cum traxissent, silco suo certam solidorum quantitatem ab electis, quæ antea pauperibus erogabatur, inferri jusserunt, apud Cassiodorum lib. IX. epist. XV. Quod securus est Justinianus, & reliqui Imperatores, saltem in Romanæ Ecclesiæ ordinatione. Et enim decreto suo electionem non confirmabant nisi soluta auri quantitate consueta, à qua necessitate Constantinus Pogonatus, petente Agathone Papa, sedem illam liberavit, apud Anastasium; ex quo Gratianus: *ne turpissimi lucri cupiditate allectus, sponsam Christi captivam faceret, ut conquerebatur de vitiosa illa exactione Gregorius magnus in psalmum quartum.*

V. Complectitur quoque clausula illa Capitularis quoscunque qui ad ordinationem concurrunt, Clericos, populum, & Episcopos. Integras enim & puras à pecunia & muneribus quibuscunque ordinationes esse plerisque canonibus, decretis, & legibus publicis, atque pœnis inflictis, antiqui sanciverunt. Verustissima est quæ habetur in apostolicis canonibus constitutio can. XXX. ex versione Dionysij: *Si quis Episcopus aut Presbyter aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, deiciatur & ipse & ordinator ejus, & à communione modis omnibus abscondatur, sicut Simon magus à Petro.* Basilii quoque hanc nefandam avaritiam corripuit epistola sua canonica. Sed locum habere non potuit nisi in provinciis Dioceseos Ponticæ. Quare in

Vide Notæ Eusebii ad Layanum pag. 48. & ad Concilium Galliarum pag. 11.

Diecepsi Afiana mos iste invaluerat ut pecuniis ordinationes omnes redimerentur. Quod cum ab Antonino Ephesino Episcopo, Diceceus illius Exarcho, impudenter gereretur, qui pro modo reddituum pecunias exigebat teste Palladio, Ioannes Chrysostomus Ephesum se contulit, ut castigatis ejus criminis reis, morbo mederetur in posterum. Sex itaque, Antonino cognitione pendente defuncto, Episcopos deposuit: qui cum *juxta morem receptum* pecunias a se datas docuissent, obtinuerunt jus repetendi eas ab heredibus Antonini. Alioqui enim non fuisset illis data conditio ob turpem causam. Sed Concilium Chalcedonense canone secundo tantum nefas Ecclesie universalis auctoritate confodit, prolata & extenta pena depositionis in gradus omnes clericatus & in officiorum ecclesiasticorum promotiones, si fiant per turpem lucri negotiationem, & adhibito anathemate in monachos & laicos criminis participes.

VI. Ratio prohibitionis designatur in canone illo his verbis; *sub pretio redegerit gratiam que non potest vendi, sed d' opatois xpo.* Quod significare vult, hoc est. Cum illa atque ordinatio sive *xporotias* completeretur electionem personae atque illius consecrationem per impositionem manuum ipsamque in Ecclesia certa institutionem, (unde necessarium est ex canone sexto Chalcedonensi ordinandos ad aliquam Ecclesiam specialiter pronuntiar, *απαρρητοίως*) totum illud negotium a digniori parte nomen sumpsit *xporotias* sive ordinationis, quae manu imposita ordinem confert. Quare cum pars illa principalis, ad quam duae aliae referuntur per connexionem necessariam, Spiritus sancti gratiam donet, non potuit cadere in commercium, ut docuit Petrus in repulsa Simonis. *Vivit Spiritus sanctus omnipotens Deus noster*, inquit Sidonius in Concione libro septimo epistolarum, *qui Petri voce damnavit in Simone mago cur opinaretur gratiam benedictionis sese posse pretio mercari.* Rejctaeque sunt cavillationes Antonini Ephesini, qui redditus Ecclesiarum suae negotiationis causam praetendebat, cum *pro modo reddituum* pretia constitueret. Neque enim Ecclesiae tradebantur nisi ratione ordinis, neque etiam electio antecederet nisi ad ordinem postea consequendum. Quare omnia comprehendebantur damnatione illa quae gratiam commercio exponerebat. Vnde simoniaca pravitas imò etiam haeresis dicta est à Gregorio primo passim, qui in electione personae eam committi docet, ne quis eam in sola manuum impositione venali versari sibi persuadeat. Vnde in elegantissima

epistola ad Syagrium *lib. 7. epist. 110.* data anno DCCIX. haec sunt illius verba, *In sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat, sit simplex sine venalitate consensus, pura praeservetur electio, ut ad summa sacerdotij non suffragio venditorum proventus sed Dei credatur esse judicio.* Probat autem vetitam hanc negotiationem, quoniam Dei donum vendi non potest; deinde quoniam quod gratis acceptum est, gratis ex dandum. Quem Matthaei quoque locum sumptum ex capite decimo urserat in hac causa Gennadius Patriarcha CP. in Concilio Constantinopolitano anno CCCCXIX. libro tertio Juris Graeco-Romani. Decreto suo vasm illorum interpretationem excludit qui fraudem faciebant Concilio Chalcedonensi, pecuniis datis post ordinationem. De utroque enim tempore antecedenti & subsequenti docet intelligendum esse canonem. Et consuetudinem contrariam abolet, quae in provincia Galatiae invaluerat.

VII. Planè utramque partem & electionis & ordinationis obnoxiam esse huic crimini simoniae docent diserta Leonis Imperatoris verba. *Nemo gradum sacerdotij pretij venalitate mercetur. Quantum quisque mercetur, non quantum dare sufficiat, estimetur. nec pretio sed precibus ordinetur antistes.* Infrà: *Si quis hanc sanctam & venerandam antistitis sedem pecunie interventu subjisse, aut ut si quis ut alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis, & laesae majestatis accusatione propolita, à gradu sacerdotij retrahatur.*

L. Si quemquam. C. de Episc. & Cleric.

VIII. Iustinianus quoque constitutionibus aliquot venalitatem suffragiorum in electionibus & ordinationibus prohibuit. Usum tamen quandam ante suam aetatem inductum de enthroniasticis solvendis, quibusdam adhibitis cautionibus approbat in Novella CXXIII. cap. III. cujus loci genuinum sensum, non omnibus obvium, patefaciemus. Episcopi ordinati, etiam si Patriarchae essent, sive Metropolitanis, certam pecuniae summam Archipresbytero sive Archidiacono ordinatoris tradebant, illis exolvendam quibus competebar ex more; tripli pena decreta in eos qui pretium constitutum excederent. Modus illius in Patriarchis non excedit viginti libras auri; in tenuioribus verò episcopatibus, trecentos aut ducentos solidos vel circiter pro modo reddituum. Putabat Gothofredus in usum Ecclesiae & pauperum hanc quantitatem conferendam: quoniam eorum curam gerebant Archipresbyter & Archidiaconus, quibus erat tradenda. quod potest juvari ex septima synodo, quae Ecclesiis dandi, &

Vide supra lib. 6. cap. 10. §. 4.